



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 1. Notanda ad Resolutionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

igitur Paulus 1. Corinth 7. ubi de quibusdam ait: *Non ego, sed Dominus*, de alijs verò præcipio *ego, non Dominus*, & quantum ad descriptionem utriusque scripsit eodem spiritu Domini; quomodo autem hoc fiat respectu verborum materialium, quæ scriptor eligit, constabit in præludijs ad resolutionem.

SECTIO I.

Notanda ad Resolutionem.

438. **S**uppono 1. non omnia & singula Scripturæ verba ita esse à Spiritu Sancto, ut præoccupando laborem Scriptorum in querendo eas naturales voces, quæ in Scriptura reperiuntur, absque ullo hoc labore, & electione infundat mentibus scriptorum, sed quandoque permittere, ut cum de rebus sensui notis, ac familiaribus est sermo, scriptor Canonicus à se excogitatis verbis scribat cum speciali assentia tamen Spiritus Sancti, ne quid falsum, aut indecens loquatur, cum Authorem loquentem habeant Deum, ideo dicitur, quod non quidem materialiter, sed formaliter Spiritus Sanctus eadem verba scripta doceat, dictaturus politiora, si intra eundem sensum & veritatem scriptor elegantiora excogitasset. Ideoque facer scriptor de minus politis verbis veniam petere, sed non de erratis, cum sciat non posse esse errata, atque ita Author 1. 2. Machab. c. 15. intelligendus. *Ego quoque in his faciam finem sermonis, & siquidem bene, & ut historia competat, hoc & ipse velim. Si autem minus dignè, concedendum est mihi:* & Paulus 2. Cor. 11. *Se imperitum sermone fatetur.* & Author Ecclesiastici in Prologo deprecatur. Si alicubi in verborum compositione deficiat, & S. Lucas restatur sub initium Evangelij sui, *Se affectum diligenter omnia, qua ad Evangelij descriptionem pertinebant, idque ab iis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.*

439. **R**atio congruitatis est, quia in Scripturis multa sunt verba, & res sacris Scriptoribus materialiter nota, v. g. cum Apostolus scripsit in Epistola: *Lucas est mecum solus. Trophimum reliqui infirmum, salutat vos Timotheus adiutor meus.* Quare non fuit opus, ut eas propositiones in mente scriptoris efformaret Spiritus Sanctus materialiter ad res similes exprimendas. Deus enim, uti in necessarijs deesse non solet, ita nec in superfluis redundare, superfluum autem fuisse supernaturaliter infundere, quod naturali cognitione habebatur à scriptore, neque requiritur ea verba, esse verba Dei, satis est, quod Deus videns instructum bene notitiâ rerum, quæ Dei nomine scribenda sunt, non relinquat illi libertatem ad errorem, licet relinquat quoad materiales voces, atque ita Deus eorum verborum Author singula verba suâ primâ veritate infallibilizat,

Ita enim docent graves Theologi, Exim. Doctor disp. 5. de fide sect. 3. num. 5. 14. 15. Bellarm. l. 1. de Verbis Dei c. 15. ad object. 2. Canus l. 2. de Locis c. 18. Vega l. 15. in Trid. c. 17. Exinde

Suppono 2. Non bene ab aliquibus Verbum Dei scriptum dici illud, quod etiam quoad materiales voces à Deo dictatum est, in quo auctoritatem Scripturæ ab Ecclesia distinguunt, utunturque hoc exemplo, scribis epistolam alienâ manu, cuncta epistolæ verba sunt tua, à te dictata, illique credere, est credere tibi, & illi non credere, est immediate contra auctoritatem tuam, at aliquis alius vult scribere epistolam, sed quia in scribendo facile errare potest, tu vis illi adesse, & errores præcavere etiâ in 2. epistola. Tu tamen in illa non loqueris, eaque verba sunt à te dirigente, non verò dictante & loquente; primò igitur modò se habet Deus respectu Sacram Scripturarum, ita ut Scriptores Canonici fuerint veluti amanuenses, & eorum lingua dicatur, Calamus Dei. Plal. 41. Secundò modò se habet respectu definitionum Ecclesiæ. Unde propter ipsas rebus fidei assentiri, non est credere Deo; non enim creditur, dirigenti locutionem, sed loquenti. Et quamvis Deus sapè loquendo possit dici per Ecclesiam nobis loqui, uti loquitur per Superiores, & Concionatores, propriè tamen non loquitur, sicut per Scriptores Canonicos, nec definitiones Ecclesiæ, & Conciliorum sunt propriè Verbum Dei, aliàs essent Sacra Scriptura, quod communiter negatur; si enim essent Sacra Scriptura, deberent etiam in Codice Sacrorum Bibliorum redigi, & libris Canonicis adnumerari.

Quòd autem hæc explicatio sit incongrua, patet, quia continet verâ mixta falsis. Verum est, Deum hominibus loqui per Sacram Scripturam, sicut loquitur quis per epistolam, quam dicit secretario, sed falsum est requiri, ut quis loquatur per epistolam suam, quòd singulas materiales voces dicit Secretario materialiter, satis est, quòd dicit formaliter, quatenus secretarius non suo, sed sui principalis nomine eam scribit, à quo etiam verba singula suam habent auctoritatem, quamvis ad materialia verba habuerit secretarius electionem, ideòque possit veniam petere, si immaterialitate vocum aliquid in ea compositione offendat, ostendens, ipsum potuisse excogitare politiora, ad eandem veritatem declarandam, quòd non Domino, sed ipsi est imputandum. Sic scriptor Canonicus cerò cognoscebat, se Dei nomine, id est canonicè scribere, & gubernari se à Spiritu Sancto, à quo verba singula auctoritatem acciperent, atque adeò, quòd nullus error contineatur, ut notat Exim. Doctor sect. 3. art. 15. at simul censebat, sibi quandoque manere electionem inter verba materialia, vel ad relinquendam aliquam historice partem, quæ scripta non vitaret, si in querendo non laboraverit; at si Deus singula materialia verbo

materialiter dictaret, non posset hoc contingere, nec posset Author veniam petere, ut in Script. cit. num. 437. habemus. Unde quando Plal. 44. Scriptor Canonicus dicitur: *Calamus scribae velociter scribentis*, significatur, tunc illum scribere absque ullo labore, dictante Deo etiam materialiter verba, sicut de Hier. inferitur c. 36. nam interrogantibus primatibus Hebraeorum, quomodo ex Hieremia ore Baruch scripsisset sermones illos: respondit: *Ex ore loquebatur quasi legens ad me omnes sermones, & ego scribebam in volumine atramento. Cæterum non ita semper est velociter scribens, licet semper sit Scriba Dei.*

441. Ratio autem, cur non solum illa materialia verba, quæ Deus infundit menti Scriptoris Canonici, atque adeo materialiter dicitur, verum etiam illam, ad quæ ex indulto Dei electionem habet, sunt verè Verbum Dei, atque adeo Scriptor Canonicus in his quoque est Scriba Dei, clarissima est; quia nempe Deus non relinquit facultatem Scriptori, ut ipse sua auctoritate verba infallibiliter, sed ipse Deus ut sua infallibilizat, & ipsa infallibilizata nobis credenda proponit; uti Christus ipsemet non quemcumque, sed aquæ liquorem determinavit pro Baptismo, & pro Eucharistia panem triticum, vinum de vite; pro alijs verò Sacramentis reliquit determinationem Ecclesiæ. Sic modò Ostiarius ordinatur traditione clavium, Ecclesiæ Lector libri lectionum, Exorcista, libri Exorcismorum, Diaconus libri Evang. cum tamen antequam libri hi facti essent, alia erat ab Ecclesia determinata materia. Verumtamen Christus non dedit facultatem Ecclesiæ ad instituendum, sed ipse voluit se ipso instituere in Sacramentis signa sensibilia, quæ determinarentur ab Ecclesia, ea de causa non Ecclesia, sed Christus est institutor Sacramenti, & ea signa formaliter instituit, ut definit Tridentinum sess. 7. can. 1. de Sacramentis, *Si quis dixerit: Sacramenta nove legis non fuisse omnia à JESU Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, anathema sit.* Pariter ergo dicendum est ab omnibus Theologis in nostro casu.

442. Omnia ergo verba Scripturæ, sunt Verba Dei, per quam, ut per certissimum oraculum nos Deus alloquitur, & de infallibilitate omnium, quæ ibi continentur, sive quo ad jus, sive quo ad factum, sive sententiam, sive verbum certos nos reddit. Unde soli Canonici libri per excellentiam vocantur Scriptura, & libri Sancti, uti 1. Machab. 11, dicitur *habentes solatio libros sanctos* non solum a Scriptorum sanctitate, qui omnes, excepto Salomone, de quo lis est, sancti fuerunt in Spiritu Sancto, sed etiam, quod sanctitatem legentibus ingerent, nullumque errorem, aut mendacium admittunt, vocantur etiam Testamentum; sicut enim, hoc est charta scripta, in qua ultima voluntas hominis continetur, ita in illis Canonicis libris, ultima Dei voluntas habetur, & lex, quam ab

R. P. Gormaz Theolog. Tom. 4.

hominibus vult observari; & sicut in testamento confertur bonorum hæreditas testatoris morte intercedente, post quam clausum antea aperitur. Sic etiã per libros sacros defertur hæreditas cæli, in qua morte Christi confirmamur, ijsque apertis nos legimur Dei hæredes; cohæredes autem Christi, si cum eo sustineamus, & mandata ejus observemus.

Numerum librorum Canonice tradit Tridentinum sess. 4. in decret. de Canon. Script. addens: *Si qui autem libros integros, cum omnibus suis partibus, in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latiore editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non susceperit, & Traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.* Qua reverentia in prima Ecclesia habiti fuerint, inde constat, quod Biblia olim juxta Eucharistiã reponebantur in templo. Erant enim olim in templis duo Sacra, in dextro sinistroque latere curvaturæ formicis imposta, & in uno Eucharistia, in altero servabatur Scriptura Sacra. Hinc S. Paulinus, ut restatur ad Severum epistola 12. Hos dextro lateri altaris in templo Nolano inscribi iussit versus:

*Hic locus est veneranda penus qua conditur,
& qua*

Ponitur alma sacri pompa ministerij.

à sinistro verò:

Si quem Sancta tenet meditandi in lege volumas,

Hic poterit residens sacris intendere libris.

Sensus autem Scripturæ duplex est: literalis & historicus, quem verba immediate præferunt, & spiritualis, seu mysticus, qui ad aliud refertur extra Verbi significationem; atque iste subdividitur in Allegoricum, qui respondet fidei, Analogicum Spei, Theologicum Charitati, proindeque etiam moralis dicitur, quæ his comprehenduntur.

Littera gesta docet, quid credas allegoria,

Moralis quid agas, quo tendas Analogia.

Hoc etiam significatur Ezech. 2. *Vidi in dextra sedentis supra thronum librum scriptum intus & foris*, ubi per librum scriptum foris intelligitur sensus literalis, intus verò mysticus, uterque concipi potest in illis S. Pauli 1. Cor. 10. *Patres nostri sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum spirituales biberunt.* Si enim hæc oratio literaliter explicetur, significat id, quod immediate per verba dicitur, sub nube ambulaverunt per desertum, per mare rubrum, comederunt Manna, biberunt aquam de petra. Si mysticè intelligatur, significatur exitus Christiani à captivitate peccati per Christum, per mare rubrum, id est baptismum: per Manna & aquam, ejus Corpus & Sanguis denotantur. Sed de his Theologi Scripturæ interpretes.

Suppono 3. Infallibilitatem Scripturæ, & infallibilitatem Ecclesiæ, quamvis utraque sit à Spiritu Sancto, pertinere ad lineas diversas;

M m m m

Ratio

Ratio est, quia infallibilitas Scripturæ est in eadem linea cum Verbo Dei, quæ est altior, & proximior primæ veritati, ideoque non solum sententiæ, sed etiam historiæ, verba & facta sunt formaliter infallibilia. At infallibilitas Ecclesiæ non est in eadem linea Verbi Dei, sed inferiori approximationis Verbi Dei. Unde, sicut approximo formæ non gaudet ijs omnibus perfectionibus, quibus forma, ita Ecclesia non gaudet ijs omnibus perfectionibus, quibus sacra Scriptura; nec se extendit ad quæstiones purè de facto, neque ad illa, quæ in Concilijs generalibus, non quidem definiendo, sed incidenter dicuntur, cum hæc maneant fallibilia, atque ita non est in linea Verbi Dei.

446. Quod quidem exemplò demonstratur. Si Rex efficaciter statuat, ne primus Minister unquam litteras Regias, aut Regis nomine scriberet, vel loqueretur; at illi ex potestate à Deo accepta infunderet scientiam, ut explicaret verum sensum litterarum Regis, licet mysterijs, & ænigmatis plenarum, aut ut Regis loquelam declararet, nec ad aliud illa scientia infusa se extenderet, & verba illius ministri non essent verba Regis, neque haberent infallibilitatem, nisi quatenus essent verba ministri explicantis verba Regis. Unde, ut infallibiliter loqueretur, opus esset, ut recurreret ad verba Regis, ex quibus infallibilem sensum erueret; sic se habet infallibilitas Ecclesiæ respectu Verbi Dei: unde definitiones Ecclesiæ non sunt Verba Dei, ideoque Ecclesia ad infallibilitatem suarum definitionum recurrit ad Verbum Dei, ut docet Tridentinum sess. 4. *Omnes itaque intelligant, quo ordine, & via ipsa Synodus post jactum, fidei confessionis fundamentum sit progressura, ex quibus potissimum testimoniis, ac presidis in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in Ecclesia moribus sit usura; ita post fact. Canon. libr. indicem, & postea in decret. de edition. eorundem sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sanctarum Scripturarum.* his politicis sit

SECTIO II.

Resolvitur Controversia.

447. PRIMA sententia docet, fidem nostram pro objecto formali habere infallibilem Ecclesiæ auctoritatem. Ita Medina l. 5. de rect. in Deum, Ajala de Traditione parte 3. c. 1. Durand. in 3. dist. 24. quæst. 1. & dist. 25. quæst. 3. Gabriel & Almainus in 3. dist. 23. Tannerus 2. 2. quæst. 1. art. 1. dub. 4. Discrimen quoque aliqui cum Medina docent inter fidem nostram & Apostolorum, eorumque qui eam immediate à Deo didicerunt, & ab Apostolis audientes miraculis à Christo prius viderant confirmari. De his dicunt, eos nisi objectò testimoniò Dei; nostra verò nisi Ecclesiæ infallibilitate, ut à Spiritu Sancto directa, & ita

in sua linea Auctoritatem Divinam habente. Secunda seu reliquorum omnium Theologorum cum S. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 1. & p. 1. art. 8. ad 2. & Exim. Doctor disp. 3. de fide sect. 10. n. 9. docet, solum primam veritatem revelantem esse objectum formale fidei; Auctoritatem verò infallibilem Ecclesiæ, ejusque definitiones non esse objectum formale fidei, sed approximationem, aut frequentissimè conditionem, sine qua non

Assero cum secunda. Infallibilitas Ecclesiæ non est objectum formale divinæ fidei. Prob. 1. Scriptura non aliò reducit nostram fidem, quam ad Verbum Dei, ut ex num. 249. secundum 1. Joann. 5. *Si testimonium hominis accipitis, testimonium Dei majus est:* quod & constat ex fidei natura; nam credere alteri, est assentiri, quia testificatur; unde credere homini, est assentiri, quia homo testificatur; & Deo, quia Deus testificatur; proinde testimonium humanum, humana auctoritate, & veritate affectum est motivum fidei humanæ; & divinum divinæ; atqui testimonium Ecclesiæ est infallibile, & Spiritus Sancti assentientia infallibilizatur, non est Verbum Dei, sed infallibilis regula supponens Verbum Dei, illudque approximans, ut dixi num. 446. ergo infallibilitas Ecclesiæ non est partiale motivum divinæ fidei.

Prob. 2. & explicatur ratio præcedens. Infallibilitas, quam habet Ecclesia loquens ex divina promissione, & speciali Spiritus Sancti assentientia, non est, ut ejus verba, & testimonia sint verba, & testimonia divina, sed humana, proindeque non est regula divina, prout profert Verbum divinum, sed prout profert verbum humanum cum speciali protectione assentientia divinæ, ne per illud proponat aliquid dissonu prolato Verbo Divino; atqui testimonium humanum non potest esse motivum partiale divinæ fidei; ergo infallibilitas Ecclesiæ non potest esse objectum formale motivum divinæ fidei. Prob. 3a. licet Ecclesia accepta à Deo auctoritatem ad condendas leges, promissamque habet à Deo infallibiliter assentientiam, ne proponat doctrinam contra sanctitatem, & bonos mores; tales tamen leges, ut fatentur omnes Theologi, non sunt divinæ, sed humanæ: quia verba legislatoris sunt humana; ergo infallibilitas, quam habet Ecclesia loquens, non est, ut ejus testimonia sint divina, sed humana.

Respondebis 1. Ecclesiam esse instrumentum loquentis Dei, uti fuere Prophete, ac proinde pertinebit ejus infallibilitas ad objectum formale divinæ fidei, uti revelatio externa. Contra 1. quia non est instrumentum, per quod loquitur Deus, sed cui ex promissione sua assistit, ut verbo humano à divina assentientia regularo infallibiliter proponat Verbum, quod Deus locutus est, & verum ejus sensum, ut ex Tridentino cit. n. 446. Contra 2. licet Ecclesia per signa credibilitatis demonstra-